



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX

Feria III. Post Domin[icam] II. Qvadragesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

potest peccatori damnationem suam reuelare? an peccatori sententiam mortis irrevocabilem potest suggerere & manifestare? Non equidem existimo. hac enim ratione fieret, vt anima in desperationis barathrum precipitaretur. Hoc saltem constat, Domine, atque etiam credo, quod licet mihi me damnandum reuelasses, humiliter responderem. Bene quidem clementissime Domine, si in peccato perseuerem, non vero, si facta poenitentia me ad te conuertero. Iustitiam tuam quidem pertimesco, hoc tamen mihi de te confusus arrogare audeam, ac dicere, quod, quamuis nomen meum in libro reprobatorum & damnatorum consignasses; si in hoc vita poenitentiam egero, te, (ignosce, si loquar audacius) nomen meum delere, atque in electorum me numerum cogam ascribere. Quid vero impedit, quo minus hoc liceat dicere; David mihi prauiuit, ac viam monstrauit dicens: *Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur.* Denique benignissime Domine, condidisti me quidem sine me, at me sine me damnare non uales. Hoc enim bonitati tuae aduersatur, & libertati meae patrocinauitur.

Est igitur sententia haec comminatoria, & interlocutoria, appelleretur prout libitum fuerit, non vero definitiua & certa. Nolite itaque o animae pauidae & meticulosae ad hanc praedestinationem & reprobationem consternari, nolite credere quidquid ministri uobis & haeretici insusurrant. Verum credite & quidem firmiter, nunquam uos damnandas, quod damnandas prauidet Deus: uerum, quod ipse ab omni aeternitate nunquam uos poenitentiam de peccatis acturas, & in iisdem morituras prauidet? Ita ut dicere liceat, uestram uobis pernicitiam & obdurationem, non uero Dei praesentiam, damnationis causam futuram.

Quamobrem clementissime ac benignissime Domine, qui hominem ad damnationem minime creasti, & non uis mortem peccatoris: sed magis ut conuertatur & uiuat, quiq; eum quotidie ut poeniteat expectas: Concede nobis, obsecro, tempus, gratias & animum, ut dignam pro peccatis poenitentiam agamus, & quamdiu uitae fax

ardebit, bonis operibus incumbamus. Ante omnia uero mane nobiscum, noli nos derelinquere, noli nos gratia tua destituere: nihil enim nobis aut funestius, aut acerbius accidere queat. Quod uero omnium est miserissimum, cum te iam amiserimus, periculum est, ne te quaerentes unquam amplius, deinde inuenire possimus, & peccatis nostris moriamur. Auerte hoc igitur a nobis, aufer calamitatem hanc ob animis, ac triste hoc infortunium ceruicibus nostris immineas procul repelle. At largire nobis gratiam, tuorum nobis aperi donorum thesauros, ac semper nobiscum permaneto: illa namque uera est ratio, quia in librum electorum tuorum, quo ad praesentem quidem iustitiam in hac uita & quo ad gloriam in altera spectat, referamur, Amen.

FERIA III. POST DOMIN. II. QVADRAGESIMAE.

Partitio.

- I. De fide & obedientia Ecclesiae praestanda.
- II. De Cathedra.
- III. De Scribis.
- IV. De Phariseis.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei. Omnia quaecumque dixerint uobis, seruate & facite, Matth. 23.

FIGURA.

PO TENS ille Persarum Monarcha *Dan. 6.* prius super omnes regni prouincias ac regiones centum ac uiginti satrapas, ueluti regni custodes & Episcopos constituit: ac super omnes hos Principes tres ex quorum numero Daniel, omnibus negotiis superintendentes simulque decreuit, ut priores satrapae tribus illis rationem redderent, simulque obedientiam praestarent: atque illos ueluti maiestatis regiae uicarios, omnes regni subditi agnoscerent. Id uero, quod olim Darius in sua reip. statu, ad regni regimen & gubernationem, praestitit, Deus regum

Qq 3 Rex

Rex & dominantium Dominus, in causa religionis, in lege Moisaica, propter legitimam & rectam synagogæ administrationem, semper obseruauit. Constituit enim Scribas & Phariseos veluti satrapas & duces populi; & summum sacerdotem ac Pontificem: veluti vicarium suum generalem, in iis, quæ ad rectam legis obseruationem, & cultum Dei verum ac legitimum pertinerent, præesse voluit. Itaque hodie populo persuadet, ut eorum voluntati in omnibus obtemperent, eorum monitis auscultent, & perfectam obedientiam præstent, *Omnia quacunq; dixerint vobis, seruate & facite.* Ecce præceptum. Cætera, vbi Virginem salutatione Angelica saluauerimus, dicam:

A V E M A R I A.

Apopht.
Platonis.

Luc. 22.

Considerationes de S. Petro.

Princeps ille ingenij ac doctrinæ Plato, tū demum beatas resp. fore dicebat, cum aut Philosophi eas regerent, aut qui regerent, philosopharentur. Quam beata igitur ac felix Christiana resp. Ecclesia, inquam, Christi, quæ à tot iam retro annis & sæculis, semper à S. Petris, Greg. Vrbani, Sixtis, Innocentiis, Clementibus aliisque summis Pontificibus, viris tum sapientia, tum prudentia rerum singulari, & tanta è cælo gratia dotatis, ut nunquam in gubernatione ac regimine ne minimum errare potuerint, fuit gubernata. An non meministis, quod olim Petro adeoque in illo Successoribus eius à Christo dictum sit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Nunquam illa dies illucefecit Petro, quæ te fractum & quassatum videbit, nunquam illa, quæ te sub persecutionum pondere ac mole videbit fatiscentem. Eris, eris ille Atlas, qui humeris potentia tuæ non cæli machinam orbiumque cælestium pondus, sed omnium fidelium necessitates & negotia sustinebis. Eris rupes illa, illa petra inuincibilis, quæ in medijs vndis sicā omnem ventorum, fluctuum, ac procellarum rabiem exhibabit: *& porta inferni non praualebunt aduersus eam.* Eris denique vallum illud æreum ac columnam ferream, de qua Jerem. vallum, inquam, quod aduersus omnes Tartari incursus & imperus, aduersus omnes mundi insidias & op-

pugnationes infractum & inconcussum permanebit: *Dabo te in columnam ferream, & in murum æreum super inuersionem terram.* Felicem igitur ac vere beatam tempus a tam eximius ducibus administratam. Quocirca mirandum non est, si tanto tempore imperterrita perseueraueris, ac modo perseueres, cum te tot inuicti Cæsares, tot infracti Hercules, tot insuperabiles Alexandri, tam sapienter, tantaque prudentia, tam longa annorum serie, gubernarint.

Referunt Atheniensem quendam Regi Theopompo olim dixisse: Mirum nõ esse, si pi regis d. Resp. Lacedæmoniorum tanto tempore floretet, cum Principes & Reges eam tanta gubernent prudentia & sapientia. ac Regem deinde respondisse, Tum etiam, quod populus tam prompte Regum legibus obtemperet. Idipsum de Ecclesiastica republ. dicere merito possum, mirum scilicet non esse, si Christiana illa Monarchia tanto tempore vigeat, cum rectores eius & moderatores tam sapienter ac prudenter eam gubernent, & subditi eorum legibus tam libenter ac prompte pareant, & iussis auscultent.

Ipsa namque subditorum obedientia & parentia, regni & imperij, ipsius quoque Ecclesiæ, robora sunt ac nerui, ac baliste fortissime quibus sese contra omnes insultus defendat: quippe *omne regnum in se diuisum desolabitur.* vnica enim seditio, vnicum dissidium, vnica perniciosa & refractaria voluntas, republ. funditus euertunt ac demoliuntur.

Hinc nihil vnquam Deus aut efficacius, Voluit nos aut diligentius nobis præcepit, Auditores, Deus super quam ut Prælati, Pastores, Episcopi, Ecclesiæque suæ Doctoribus pateamus: *Qui Eccl. parere. clesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus,* ait ipsa veritas, & in Euangelio Luca: *Qui vos audit, me audit.* quasi diceret: Magnificite, o Pastores, commissum vobis negotium, magnitudinem eius & splendorem perpendite, cogitate vobiscum, quo in gradu honoris constituti sitis. Quicumque enim vos audit, & parer, parer & mihi: & contra, qui vos spernit, me spernit. Paulus quoque, Apostolus eodem eos inuitat, dicens: *Obedite præpositis vestris: qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ecce quoque no-

uum

um in Euangelio hodierno præceptum: *super cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisaei. Omnia quaecumque dixerint vobis seruate & facite.* Cum igitur ipse iam cathedram conscenderim, primo vobis de cathedra hac verba faciam, ac deinde de ijs qui super hanc sedent.

II. *Quod ad cathedram igitur spectat, per cathedram Moysis, Petri cathedram: id est, summi imperij ac potestatis locum, ac doctrinæ certissimæ, quæque falli non potest, auctoritatem, intelligamus. Ita porro id explicat magnus ille Ierolymorum antistes Cyrillus: Non hic, inquit, ligneam cathedram, sed doctrinam significat potestatem.* Illa scilicet est cathedra quæ duabus clauibus clauditur & aperitur. *Tibi dabo claves regni caelorum*

vna earum auctoritas est, & quæ ad præsumptum populi curam habentes spectat, altera vero doctrina, quæ ad doctores pertinet, qui potestatem legitimam ad scripturæ arcana reuelanda & explicanda acceperunt.

Hæc est cathedra salutis, cathedra veritatis; cathedra benedictionis, extra quam & sine qua nihil præter mendacia, errores, præstigias, & imposturas reperitur. Ita namque Cyprianus Cornelius scribit: Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat. Eodem quoque modo Hieronymus epistola ad Damasum Papam: *Beatitudinitua, id est, cathedra Petri, communionem confocior, super illam petram adificatam Ecclesiam, scio. O dignam tanto viro sententiam! O verba niueo signanda lapide! O egregiam, regiam; ac Pontificiam cathedram! cathedram non Antiochiæ, non Ierolymis, non Alexandriæ, non Constantinopoli, sed in medio Romanæ ciuitatis, in qua ad finem vsque mundi permanens est, collocatam! Hoc est, quod doctissimus ille Britannus Nicolaus Sanderus do-*

ste, sane ac diuine docuit: Sic, inquit, sacerdotium legale per Leuiticum inchoatum, & Deo volente, in templo Salomonis institutum, ad primum vsque Christi aduentum semper durauit: sic in nouo Testamento Pontificatus à Petro inceptus, & Dei voluntate Roma institutus ad secundum vsque Christi aduentum perseverabit. Quid dici his aut elegantius, aut doctius

potest? an non argumentum hoc validum & plane efficax.

Hæc est denique illa cathedra, thronus ille regius, in quo post Apostolorum Principem Petrum ad nostra tempora, quibus Clemens VIII. Ecclesiæ clauum moderatur, ducenti quadraginta Pontifices sederunt, & præfederunt. Cathedra, inquam, triginta trium Pontificum, qui eam initio nascentis Ecclesiæ tenuerunt, pretioso purpurata sanguine. Lucas Euangelista, ut splendorem & magnificentiam generationis IESU CHRISTI declaret à Iosepho, velut à montis pede ducens exordium per continuam successionem ascendens, per Reges, Prophetas, Patriarchas progrediens, in Abraham eam inchoatam demonstrat. Non aliter Sacra Romana Ecclesia, ut antiquitatem & maiestatem cathedræ suæ ac throni ostenderet, à Clemente VIII. quem Dominus conseruet & viuificet, & inter beatas illas Urbanorum, Sixtorum, Benedictorum, Piorum, Gregoriorum, & Alexandrorum animas faciat aliquando commemorari) ducto initio, ad sanctum vsque Petrum, continua serie, & successione imperrurbata, & inde ad Iesum Christum, primam suam originem lapidemque fundamentalem, in quo ædificium hoc ædificatum est, pertingit.

Propheta regius dignitatem sedis huius, & cathedræ prælagiens, tres alias ei cathedras peste & abominatione infames opponit, atque ab iisdem Psalmorum suorum exordium ducit: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit. Prima pestilentia cathedra, est Mahometi, in Alcorano fundata: altera perfidorum Iudæorum, in Thalmudicis libris ædificata: tertia infelicitis ac pestilentis Caluini; cathedra inquam pestilentia, cathedra falsitatis, cathedra erroris & blasphemiae. At in cathedra Romana fiunt miracula, de ea, & in ea Prophetae veteres vaticinati sunt; in ea dona linguarum intelliguntur, in ea exorcismi pollent ac potestatem habent, Cathedra, è qua fulgura excommunicationem, censurarum, tonitruum, peccatorum remissio,

contra-

340. Pontifices post S. Petrum.
31. Martyrio affecti.

Psal. 1.

Romanæ cathedræ priuilegia.

controuersiarum decisio, hæreticorumque dogmatum declaratio proficiuntur. Cathedra, quæ totum mundum iudicat, quæ tamen ipsa à nemine iudicari potest, vt Imper. Constant. olim dixit.

Sola veritas in Ecclesia est.

Paucis vt dicam. hic est cathedra veritatis: nam veluti Phœnix, cui similem reperire non est, non per omnes aeris regiones volitat, sed in solis Arabiæ petris reperitur: Ita quoque veritas, quæ instar Phœnicis vnica est, nusquam nisi in Ecclesia, nisi in petra Ecclesiæ comparer; hinc eam Paulus Colum-

1. Tim. 2.

nam veritatis, quasi petram, in qua vnica illa auis veritatis nidificat, appellauit. Margarita illa Evangelica, si forte meministis, non nisi in domo potuit reperiri, quo edocemur, adamantem illum veritatis non alibi, quam in domo Iesu Christi, in hac scilicet cathedra, posse reperiri. Noli eam amplius Democrite in puteo submersam quærere; non enim nisi in hac cathedra reperitur: cathedra inquam non lignea, sed marmorea; sed petrosa, *Et supra hanc petram adificabo Ecclesiam meam; & porta inferi, fulgura, venti, turbines, & procellæ non præualebunt aduersus eam.* Cathedra bene fundata, cuius fundamentum Christus est, cuius columnæ, bases, & sustentacula Apostoli.

Matth. 16.

3. Reg. 10.

An non audire vos aliquando meministis, Thronum illum Salomonis, duodecim leuinculis suffultum fuisse? *Fecit etiã Salomon thronum de ebore grandam, & vestiuit eum auro fuluo nimis, & duodecim leuinculis stantes super sex gradus hinc atque inde; non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Videbitis hic rem plane similem: Videbitis hic thronum pontificalem; duodecim Apostolorum fide subnixum, fundamenta eius in montibus sanctis. Per sanctos hosce montes Propheta Apostolos intelligit, super quos Ecclesia velut super Caucaalum vel Athon fundata est.

Psal. 88.

Hæc illa est fides, hæreticæ, quam tam nefarie, tam inique, tanta calumnia, tantaque iniuria, blasphemo ore cathedram pestilentiæ, cathedram Babylonicam, cathedram idololatriæ, denique cathedram Antichristi aude nominare. Scisne miser & infelix, quis sit Antichristus ille futurus? no- stine quid sacra Scriptura dicat: *Homo pet-*

1. Thess. 2.

cari, filius perditionis, qui extolletur supra omnia quod dicitur Deus. Anne vnquam audiisti summum Pontificem, summum illum Ecclesiæ caput, Papam Romanum, (eo cum appelles nomine, quo lubuerit, modo fidelium omnium caput esse dicatur) eum inquam, qui Ecclesiæ præsidet, quique in hac cathedra sedet, eo vnquam impudentiæ processisse, vt sese vel Deum, vel Christum vel Angelum nominarit: Nequaquam Auditores, eo enim amentia nondum venit, nondam tanta eius fuit ambitio. Verum enim vero ea semper Christi Vicariotum fuit humilitas, vt etiam vilissimis & abiectissimis sese nominibus voluerint appellari, omnia sese pedibus subiiciendo, ac seruos seruorum Dei & nudos Christi vicarios nominando. Antichristus autem maiores sibi titulos, maiores sibi dignitates arrogaturus est.

Verum hæc est illa sedes & cathedra, quæ Cathedra Antichristum, & omnes eius socios & asselas oppugnat & pessundat: hæc est illa, quæ vitia omnia, & hæreses imprimis, castigat oppugnat, & arguit. Illa, illa cathedra est, quæ sub dilectissimo Pontifice in Concil. Niceno Ariam expugnatam hæresim; Iesum solum esse hominem, Anno 325, non vero simul Deum, asserentem, con- Anno 371. demnauit. Hæc illa est, quæ sub Damaso, in Concilio Constantinopolitano Macedonium & Eunomium, in Spiritum sanctum blasphemus & iniquos profligauit. Hæc illa est, quæ sub Cælestino in concilio Ephesino Nestorij impietate, duas in Christo Personas asserentem, confutauit. Hæc est deinde illa sedes, quæ sub Leone primo in concilio Chalcedonensi, Eutychem, vnica in Christo naturam promulgantem, redarguit & confregit. Hæc est etiam cathedra illa, vt Euangelij nostri verbis credamus, supra quam Scribæ & Pharisei sederunt. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisei.*

Porro Scribæ, qui super hanc cathedram sedent, ipsi sunt Doctores, quos Deus in Ecclesia sua esse voluit. *Alios autem dedit doctores, ait Paulus: & his obediendum est, horum doctrina sequenda, atque omnia quæcunque docuerint præstanda: Omnia quacunque dixerint*

III. Scribæ Doctores Ecclesiæ docent. Ephes. 4.

vin vobis, seruate & facite. Hi enim sunt nuntij, & legati cœlitus missi quibus in omnibus credendum est: sunt pædagogij & magistri populi Dei: nam *Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore eius.* Sunt tubæ & præcones verbi Dei: sunt voces clamantium in deserto. Ieiunate, Eleemosynis peccata vestra redimite, & facite fructus dignos pœnitentiæ: hi sunt Ionæ qui in ciuitatibus & urbibus magna voce in clamant, *Adhuc quadragesima dies & Luctia subuertetur.* Hoc triste tibi nuntium afferre possum Luctia: nunquam enim tanta fuit Ninives, Assyriæ Metropolis, sex mille passuum latitudine sua complectentis, dissolutio & luxus, quantus tuus modo est: quæ scilicet Sodomam & Gomorrham flagitijs, & abominationibus longe antecellit: *Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite.* Parisienses, Auditores Catholici, facite quidquid Concionatores faciendum præceperint, auscultate voci Euangelicæ, obedite veri Euangelij præconibus. Hi namque sunt illi Nathanes, qui Regibus & Principibus iram Dei denuntiant, eorumque vitam nefariam corripunt: hi sunt Ioeles, Ieremiæ, Isaïæ, Ezechielis, quorum vocibus quotidie suggestus concrepant, quorum interminationibus & adhortationibus cathedræ perstreperunt *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Relinquitte fucum, exuite hypocrisim: *Frangite esurienti panem tuum:* date eleemosynas indigentibus, subleuate inopiam pauperum.

Vere igitur vos, ô prædicatores, tubas Euangelicas appellabo; de quibus dicitur, *quasi tuba exalta vocem tuam,* tubas inquam, quæ muros Ierichuntinos ad terram deiiciunt, hoc est quæ obduratos & pernicaces animos concutiunt, & tremore percellunt. Intonate igitur, exaltate vocem, date sonitum, vt omnes ad vocem vestram aures & mentem arriquant. Ecquæ vero vos patratæ miracula? Lazaros ad vitam reuocatis, peccatores inquam, in peccatis mortuos, & sepulchris malarum consuetudinum exire cogitis, & ad Danielis Prophetæ exemplum, diuinitatis, somnia & conceptus, volupta-

Tom. 2. Bessai Quadreg.

tes quoque cœlestis illius Nabuchodonosor exponitis, atque idoli peccati & hæreseos in mundi huius Babylone, penitus comminuitis & demolimini. Vos hoc in mundo facitis, *Gen. 41.* quod olim in Ægypto fecit Ioseph: explicatis enim somnia, id est, desideria & voluntates æterni illius Pharaonis. Ad hæc similes vos Angelis esse dixerò, nam quemadmodum illi quidquid in terris agitur, in cœlum celeriter deferunt; ita vos, quidquid supra cœlestes orbis per oculos ab hominum conspectu geritur, hominibus in hoc mundo denuntiat. Docet hoc me Propheta Malachias, qui hoc vos nomine condecorat. *Quia Angelus Domini exercituum est,* O nomen & dignitatem vere diuinam. *Malach. 1.*

Recordor, tertio in passione Domini gallum cantasse, tertio quoque periturum Petrum exiisse foras, & lacrymas pœnitentiæ effudisse. Cum penitus gallum hunc considero, verum Euangelij præconum exemplum & figuram in eo videre videor. Excitat namque dormientes gallus, & stertentes cogit surgere: ita quoque concionatores peccatores graui lethargo ac veterno sopitos excitant, & que vitijs, in quibus alium dormiunt, cogunt surgere, atque ad laborem pœnitentiæ adhortantur. Ad galli cantum Petrus peccato liberatur, & in lacrymas penitus resoluitur. Concionatores quoque ad galli similitudinem singulis diebus mane in hac cathedra cantant, peccata vobis in memoriam reducunt, atque ad vocem eorum, ad eorum exhortationem omnes, modo sapiat, cum S. Petro peccata deserunt, & pœnitentiæ salutari eadem emaculant. O igitur gallos admirabiles!

Video in Numerorum libro venientes è *Numer. 13.* terra promissionis exploratores, qui populo Israel in deserto commoranti terræ fertilitatem denuntiantes, specimen simul vberatis attulerunt, vt hac ratione cum ad terræ huius incolatum armis parandum incitarent: *Reti: si exploratores terra post quæ quadragesima dies omni regione circuita, venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem catum filiorum Israel. Locuti que eis omni multitudini ostenderunt fructus terra.* Cum exploratores hos diligenter inspecio, concionatores mihi

Ri

repræ-

repræsentato, qui eminus explorantes & dispicientes, quidquid in terra illa felicitatis æternæ ac beatitudinis agitur, vobis in mundi huius deserto commorantibus declarant, ac specimen gloriæ felicitatisque supernæ ostendentes, auditores excitant, vt tam eximium & præclarum regnum violenter obineant, & vita cum virtute transacta sibi in id aditum parent.

Concionatores, qui dicunt & non faciunt. Dan. 2.

Verum infelices & miseri sunt illi præcones, quorum opera verbis nequaquam respondent, qui multa dicunt, at nihil omnino præstant. vos hodiernum hocce Evangelium coarguit: quippe qui statuam illam Nabuchodonosoris optime exprimitis. Caput enim vestrum aureum est, lingua aurum eloquitur, at pedes vobis sunt lutei, opera vestram terram sapiunt, ac penitus in virium clinant. Similes vos nuntius adulternis esse dicam. sermones enim vestri egregij sunt, lectu iucundi, & auribus grati: at opera adulterina, & vitium in sese continent. Vox est Jacob, at manus sunt Esau. Loquimini vt Jacob, vt Dii quidam cælo delapsi, vocemque vestram, vt Dei alicuius omnes reuerentur & colunt; sed viuunt, vt Esau barbari & profani, vitæque vestra sceleribus inquinata est.

Gen. 27.

An non vobis portentum ac monstrum is esse videretur, cui lingua brachio multo longior foret? Credite huic monstri esse illum concionatorem per similem, qui dicit & non facit: ei quippe qui plura dicit quam præstet, lingua brachio multo est longior. Promittunt quidem Evangelij præconibus duplicem sacra literæ coronam, & cheu: vos duplici supplicio vos dignos redditis, tum vero quod vestra vobis eloquentia f. perbitæ segetem, & vanæ gloriæ materiam subministrat.

IV. Per Pharisæos præsumptuos designantur.

Sunt præter scribas hos, Doctores, inquam, Ecclesiæ & concionatores, & alij qui super cathedram Moysi sedent, scilicet Pharisæi. Porro per Pharisæos hos, Præfules & Antistites designantur, quibus Deus Ecclesiam suam administrandam & regendam tradidit. Hi nempe sunt fideles illi & prudentes serui, quos constituit Dominus super sa-

miliam suam; hi sunt cæli ianitores, quibus dictum est: *Tibi dabo claves regni calorum, & in te omnibus successoribus tuis.*

Quanto eos igitur honore quantaque reuerentia à subditis affici oportet! Hi sunt scilicet illi Cherubim, qui gladio excommunicationis & auctoritatis profanos ab Ecclesiæ introitu, non secus ac cherubim ille à paradiso, arcent. quanto eos igitur vobis cultu & timore coli par est, peccatores? Pater Franciscus tanto Sacerdotes omnes honore prosequatur, vt dicere soleret, se, si forte eodem tempore sacerdos & Angelus occurrerent, prius sacerdoti manus exosculaturum, ac deinde debitum Angelo honorem exhibiturum. Si tantum vir sanctissime sacerdotibus honorem exhibuisti, quid Episcopis, & Ecclesiæ Prælati facturum te arbitramur? an nõ prius iis quam Seraphinis honorem exhibuisses?

Dignitas Præfulem Ecclesiasticorum extollitur.

S. Franciscus sacerdos in summo honore habuit.

Quanta vero vestra dignitas est, o Pastores, Episcopi & Ecclesiæ Prælati, si modo intelligeretis; omnes profecto scripturæ veteres, omnis antiquorum Patrum chorus, totus denique mundus, quos vobis titulos donet, ignorat. Mille vobis nomina, mille cognomina, sexcentos honorum titulos ad dignitatem vestram insinuandam adinuerunt, S. Mattheus vos lucem mundi, S. Lucas salem terræ. S. Hieronymus generales Apostolorum vicarios, astra & stellas Gregorius, Ecclesiæ facies, ac lampades Basilii appellat. O titulos vere diuinos & plane admitandos! *Quin & Regius vates mundi principes: Constituit eos Principes super omnem terram. Malachias Propheta, Angelos: Constantinus Imperator Deos, Non est nostrum iudicare Deos: quod David quoque in Psalmis prædixerat, Ego dixi, Dii estis, & filii excelsum omnes.*

Matth. 5. Luc. 7. Hieron. ad Marcell. Gregor. in v. g. Basil. in epist. Psal. 44. Psal. 81.

Vere itaque vos veluti minorum gentium deos, ac semideos appellabo. Vos enim peccata remittitis, vos clauditis abyssos, diabolos fugatis, mortuos resuscitatis, miracula editis: Quid igitur ad perfectum Dei cognomen vobis deest, quam ipsa mundi creatio? Quam vero sublimes ac felices estis vos nempe sarrapæ, illi, qui sub Pharaone omnem mundi Egyptum gubernatis. Vos

Figure quibus Ecclesiæ Præfules designantur.

Gen. 1. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.
 tis. Vos estis illi domus custodes & œcono-
 mi, quibus in palatio Salomonis omnia cõ-
 missa sunt. Vos estis limpidi illi fontes Helin,
 qui salubres & dulces doctrinæ aquas effun-
 ditis, quibus sitiẽtes animas reficitis, terram
 irrigatis, solitudinem & deserta, quæ prius
 præ virtutum inopia exarescebant, fecunda
 redditis. Vos estis illi tribuum Principes, qui-
 bus præcepta & monita salutaria populo de-
 nunciare incumbit, quibusque regimen ac
 gubernaculum commissum est. Vos estis
 portæ illæ templi, quas describit Ezechiel,
 per vos enim infinita hominum multitudo
 ad Ecclesiam tum militantem, tum triumphan-
 tem debet ingredi. Vos denique estis
 Pharisei illi, super Cathedram Romanam se-
 dentes, idque tanta auctoritate & maiestate,
 ut omnia quæ dixeritis credenda, & quæ ius-
 seritis, præstanda sint.

1. Mach. 6.
 Verum quanta dignitatis & auctoritatis
 vestræ maiestas est, & amplitudo, tantum
 quoque in iis periculum situm est: quippe, qui
 magno vos discrimini exponitis, si non ex-
 cubetis, & diligenter in omnem partem vi-
 giletis. Quemadmodum enim Eleazarus Ju-
 deus, cum Elephantis molem corpore susti-
 nere vellet suo, sub pondere oppressus est: ita
 quoque, tantum vobis aliquando onus &
 molem imponitis, ut vobis sub pondere fa-
 tiscentibus, anima iuxta & corpus in extre-
 mum discrimen adducantur.

1. Reg. 4.
 Quemadmodum enim cum cælum terræ
 minatur, fulmina ei acculatur, & in eundem
 montium iuga percutit, ad eundem plane
 modum Deus, cum populi peccatis ad ira-
 cundiam excitatur. Præsules & ipsos Eccle-
 siæ vertices ferit, in eosque iræ suæ fulmina,
 veluti in montes locaque eminentiora, ei-
 acculatur. Sit vobis hic in exemplum Heli, qui
 cum summum Pontificatus esset apicem con-
 secutus, & non ex ratione & æquo dignita-
 tem suam administraret, gravi morte multatus
 fuit.

*Regium Periculis di-
 cum. Platarch. in Politicis.*
 Refert summus ille morum magister Plu-
 tarchus Periculum rei publ. Atheniensis Prin-
 cipem, cum eiusdem ei rei publ. gubernacula
 commissa essent, quoties vestem dignitatis
 suæ insignem, ad senatum irurus indueret, di-
 cere solitum: *Attende tibi Pericles, Græci sunt,*

*quos regis, liberi sunt, ciues Athenienses sunt: id
 est, seditiosi. & tumultus auidi; non tamen
 barbari, sed libertatis cupidi; Athenienses
 sunt omnium scilicet mortalium ingratiissi-
 mi, qui Socratem, Phocionem, Aristidem, a-
 liosque infinitos meritis & honore summos,
 turpiter, aut in exilium pepulerunt, aut morte
 ignominiosissima, magna sua infamia pro-
 broque affecerunt. Id vobis dictum putetis
 ð Præsules, ut quando nimirum vestes Pon-
 tificias & Episcopales induitis, cum mitras
 capiti templum adituri imponitis, oneris vo-
 stri periculum consideretis. Perpendite vo-
 biscum discrimina, quæ vobis subeunda
 sunt, ac cum magno illo Pericle dicite: *At-
 tendo tibi ð Episcopo: anima sunt quas regis,
 Christiana sunt, pretioso Saluatoris sanguine re-
 dempta sunt.* Apertis oculos Episcopo, ac tecum
 dignitatis tuæ onus perpende: considera, ti-
 bi animas esse regendas, animas inquam
 tam pretiosas, thesaurum adeo seruari diffi-
 cilem, rem, cui tam multi insidiantur. Chri-
 stianæ sunt, non barbaræ, aut paganæ, ac
 pretioso Christi redemptæ sanguine; tan-
 tis doloribus, difficultatibus, molestiis ac-
 quisitæ, ut mortem, sanguinem, & passio-
 nem filij Dei vngentis iis necesse fuerit im-
 pendi.*

Itaque vobis ipsis attendite, & in omnem
 partem circumspicite, ne quid grex vester
 detrimenti capiat: ideo namque Episcopi,
 id est, inspectores, estis nominari. Exhibete
 vos Argos vndiq; oculos, imitemini illa
 quatuor Ezechielis animalia, quæ plena e-
 rant oculis intus ac foris. Circuite gregem,
 dice: esim vestram obambulate vigilando, ex-
 cubando, adhortando, muneri vestro satis-
 facite, ac deinde aulis Regum ac Principum
 exite.

*Proh dolor! quam viuis coloribus Euan-
 gelij nostri Epilogus Præsules hos describit, corrupticia.
 & quam bene tempora nostra id edocent:
 tanta quippe in Prælati superbia, ambitio,
 tantaque vanitas est, di.unt enim, & non fa-
 ciunt. Ieiunia indicunt, & quotidie splen-
 dide epulantur, adeoque regisice, opipare
 ac laute, ut nulli hodie laudentur Apicij,
 nisi, qui ex Episcopo prodierint. S. Ponti-
 fex Gregorius vitia sacculi sui, & corrupte-*

lām sugillans, dicebat non esse proprium Episcopo, sed aulæ regis, exotica piscium & altitium nomina nolle. Euangelium plura addit, & ait: *Volunt vocari Rabbi; salutationibus vulgi inuigilant, ac captant fufurros plebecula; honorati & saluari gestiunt. Neque enim iam amplius Dominus Episcopus, sed Dominus meus, inualuit.*

O vanitas vanitatum, o tempora infelicia, o calamitatem & infortunium inauditum! actuum, præsertim, o Gallia, quæ plena es huiusmodi Episcopis, quin & pueris, vsic dicam Episcopantibus. Vere igitur lachrymans ac suspirans de te Propheta illud dixerit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Loco Martiniolum, Hilariou, Martialium, Dionysiorum, Remigiorum, qui dicebant & faciebant, iam pueros consecuta es, qui nec dicunt, nec faciunt: nec enim concionari, aut bene operari norunt.

Quamobrem, Deus æternæ, pastorum omnium Pastor, Episcoporum omnium Deus, & summum Ecclesiæ caput, fideles Ecclesiæ tuæ ac probatos pastores procura, præclaros ei Doctores elargire, concionatores & operarios strenuos in eam mitte, concionatores, inquam, qui vitia & flagitia coarguant; Doctores, qui hereses, & prauarum opinionum pullulantes propagines eradicent; Præsules & Antistites, qui commissio sibi gregi cum laude sciant præesse. Quin etiam Domine, concede, ne pastores illi, quos super Ecclesiæ tuam constitues, Phariseis hisce similes reperiantur, qui dicunt, & non faciunt; verum, vt incipient & facere, & docere, vt doctrina doceant, & operibus alios edificent. Porro, quando ingens felicitas illa affluerit, vt tales in cathedra Petri considerent, facientes scilicet & docentes; nos, quod nostrum erit, Omnia quæcunque dixerint, seruabimus & faciemus. In quo summa Euangelij nostri perfectio, & æternæ salutis exordium positum est: ad quam nos sanctissimæ Trinitatis membra, Pater, & Filius, ac Spiritus sanctus perducere dignentur.

Amen.

* *

Partitio:

- 1 De ambitione perniciofa.
- 2 De tempore & genere petitionis.
- 3 De animo tale petentis.
- 4 De responfo Christi negatiuo.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Matth. 20.

FIGVRA.

BETHSABEE illa Dauidis vxor, superba 3 Reg. 11
quam quæ maxime, & honoris sitientissima, coniugem suum ac Regem lecto desitum, ac sub graui agitudine fatiscientem, extremosque trahentem spiritus, contemplata, genibus in terram prostratis, coram illo supplex procidit, cum lachrymis & magna animi demissione supplicans, hæc vt ei viuens gratiam concedat, vt filius eius Salomon a morte patris in regnum & sceptrum paternum possit succedere. Hoc in nostro mihi Euangelio videor ad oculum expressum cernere, aut aliqua saltem ratione adumbratum. Contemplor enim hic non vxorem Dauidis, sed Zebedæi: quæ inani typo superbie, & ambitione inflata, vt filios ad honorem sublimatos videret, cernens Christum ad mortem sese præparantem, ac non nisi de morte verba facientem, eum accedit, ac genibus in terram prostratis eum adorans, supplici ab eo oratione postulat, vt filios suos commendatos habeat, & iam ad coronam euectus, vnum a dextris, alterum a sinistris collocet. Hoc ambitionis exemplar in matre hac expressum, hodierna vobis die ob oculos proponere, & spectandum præbere decreui: si Paracletus nobis Spiritus sua gratia, & Deipara Virgo suis ad Deum precibus adesse dignentur. Recitemus itaque

Ave Maria.

I.

Timon Philosophus, cum de vitis & prauis animi affectibus ageret, dicere sole. Timon bar,